

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Georg Radow

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis, Georgius Radovius, Iuris
Doctor & Profess. Publ. Ad iusta exsequalia, Viro ... Dn. D. Hermanno Lembken/
Icto ... Omnium ordinum Cives Academicos officiose & peramanter invitat : [P.P.
sub sigillo Rectoratus die XVII. Martii Anno M. DC. LXXIV.]**

Rostochii: Kilius, 1674

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756284929>

Druck Freier  Zugang



riac
orum
ingenium.

Kl. 241. (3.) <son>

27

PROGRAMMA,
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS,
GEORGIUS RADOVIVS,

Juris Doctor & Profess. Publ.

Ad justa exsequalia,

VIR O

Nobilissimo, Amplissimo atq; Consultissimo,

D N.

D. HERMANNO

Gembkent/

J Cto & in hac Acad. Antecessori celeberrimo, Amplissimæ Facultatis Juridicæ Seniori gravissimo, Reipublicæ Rostoch. Syndico meritissimo, Collegæ nostro conjunctissimo,

nunc


Beatissimo,

A Vidua Liberisq; mæsisimis exsolvenda,

Omnium ordinum Cives Academicos

officiose & per amanter invitati.

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILI, Universit. Typogr.



Si extremus dolor, quem imo
hactenus pectore reconditum in
publicum hodiè emittere cogimur,
intra paucos, eosque privatos pa-
rietes se contineret, eum quodam-
modo verbis exprimi posse credere-
mus: nunc, cùm præter multas ci-
vium domus, Curiam quoque, &
ipsam Musarum sedem magnitudine suâ impleat, quid
in publico pariter ac privato luctu sit dicendum, ani-
mo non occurrit. Ut namque haud exigui momenti
res est, vivam, & corpus suum adhuc animantem vir-
tutem meritis laudibus deprædicare; ita extinctam
dignè celebrare simul, ac lugere qui volet, experiendo
discet, quād id sit difficile, imo præstari omnino non
possit! Nihilominus ad tam grave & funestum offici-
um adstringimur, & eheu! dicendum nobis aliquid est
in acerbo funere VIRI Nobilissimi, Amplissimi atque
Consultissimi, DN. HERMANNI Lembsken / JCTi &
in hac Academia Antecessoris celebratissimi, Amplissi-
mæque Facultatis Juridicæ Senioris, & Syndici inclutæ
hujus Civitatis gravissimi, Collegæ nostri atque Ami-
ci, dum viveret, conjunctissimi; qui, urgentibus ita fa-
tis, è confortio nostro, omniumque mortalium exem-
ptus, mæstam reliquit utramq; Rempublicam, omnibus-
que

que in eâ magnum sui desiderium. Insignem, & Ci-
ves, in tanto Viro fecimus jacturam, nec intra mo-
dicum temporis spatum tam altum publico bono est
inflictum vulnus: quippe amissimus Academiæ orna-
mentum, Civitatis nostræ delicium, Juris justitiæ quo
columen, Bonorum præsidium, Virum denique non
sibi soli, sed publicæ pariter, ac singulorum Civium sa-
luti natum, atque deditum. Quid igitur mirum,
cum ad universos clades pertineat, pro eâ singulos in-
gemiscere, & suam non minus quam publicam com-
plorare salutem? Parum aut nihil sapere mihi videntur,
qui in obitu Virorum præstantium, & de patriâ benè
meritorum, præter mortalitatem, nihil considerant.
Qui virtute & consilio rem publicam juvant, non raro
eam suis fatis involvere solent, & omnis temporis
historia testatur, sæpè uno Viro civitatem stetisse, &
cum eo concidisse. Navis nunquam magis habet,
quod naufragium metuat, quam cum ei tempestas
gubernatorem subduxit, & sæpe unius columnæ la-
psus totam domum, aut ejus non modicam partem.
se cum in ruinam traxit. Noster, qui ingens rei publicæ
decus atque columen fuit, sicuti vivus commissam
sibi ejus partem fortiter sustinuit, ita moriens eandem
reliquit ruinæ obnoxiam, & magno studio fulcien-
dam; mortalium felicissimus, si non hic metus in cœ-
lum erupturam animam torsisset. Absque quo fo-
ret, non injuriâ dubitaremus, utrum vitam ejus præ-
dicemus feliciorem, quam mortem gloriosem.
Pænè dixerimus, lætum illum ex hac vita discessisse,
non tam tædio miseriarum, quas, quantum ullus ali-
us, est perpessus, quam quod mortem intueretur ut
vitæ suæ exordium. Braxillus Philosophus cum

morti vicinus, circumstantes lectum feralem ac lacry-
mantes videret Senatores, aliosque Viros dignitate
conspicuos, ob quatuor potissimum lætari se dixit.
Primò propter bonæ conscientiæ testimonium. Se-
cundò quod tantos Viros mortem suam lugere vide-
ret. Tertiò quod 60 annos reipublicæ vel aliis pro-
delle studuerit. Ultimò denique quod cultum quem
debuit aliis, præstiterit semper. Ergo, inquit, mihi
hodiè vitam exordiri videor. Quod primum Phi-
losopho erat lætitia argumentum, recta conscientia,
tanti equidem est momenti, ut omnem in vitâ faciat
felicitatem, in morte beatitudinem; at mala è con-
trario malis sævissimum se monstrat tortorem atque
carnificem. Cum enim, teste Juvenali, quisque
nocte dieque suum gestet in pectore testem, tanta
ęus vis est in utramque partem, ut neque timeant
ii, qui nihil admirerunt, & pœnam semper ante oculos
versari putent, qui peccaverunt. Cæterum quod
jam suo tempore queritur Plinius, multos famam,
conscientiam paucos vereri, id non injuria ad nostrum
semper in pejus ruens seculum yertas, quo sæpè pravæ
cupiditates, avaritia, ambitio, justi larvam induunt,
quo oculi seducuntur pulchritudine & auro, aures
precibus aut minis potentiorum, manus munerum
ponderibus, & nullus sensus relinquitur intactus. De-
functus noster, ut vir æquus & justitiæ pertinax, con-
scientiam illibatam servavit, ceu amplum virtuti suæ
theatrum, quare violati numinis tristem cogitatio-
nem ac morsum nec metuit unquam nec sensit, Bra-
xillo morituro non minus similis in hac re, quam in
eo, quod mors eius à præstantissimis Viris deploretur.
Ecquem enim huic luctus experte novisti? Academia
luget

Iuget Antecessorem, Civitas Syndicum, studiosa
pubes Doctorem, populus causarum moderatorem,
miseri patronum. Sed omnium dolorem longè su-
perat dilectissimæ Coniugis ac liberorum afflictio, qui
mortui Mariti ac Patris amantissimi cineres, & sepul-
crum abundantissimo piissimoque lacrymarum im-
bre irrigant quotidiè, atque conspergunt. Quod si
inanimatarum rerum aliquis horum esset sensus, di-
ceremus Curiam, pulpita, & alia Musarum delubra
lugere jacturam eius, qui suâ facundiâ & scientiâ, ea
olim implevit. Quæ moribundo Philosopho tertia
erat lœtandi causa, tantis semper Nostro sicut habita, ut
quicquid prudentiæ, virtutisq; per totam vitam, non
sine cura atque molestiis conquisiuit, in dulcissimæ pa-
triæ sinum effundere, eiusque saluti se suaque omnia,
ad extremum usque vita halitum, mancipare glorio-
sum duxerit. Quanquam autem non, ut ille, per
60 annos, sed vix per dimidiam tanti temporis par-
tem patriæ inservire studuerit, non propterea eius
est incusanda voluntas, sed fata, quæ ipsi in com-
modis reipublicæ consenescere inviderunt impedi-
runtq;. Nam de amore eius in eam dubitare piaculum
foret, maximè cum omni ævo pro patriâ quoque
mori dulce fuerit habitum. Quod Braxillus ultimolo-
co jactat, & lœtabundus in ipso mortis articulo in-
ter virtutes suas numerat, se cuivis debitum hono-
rem semper exhibuisse, id Nostrum quoque nun-
quam neglexisse, omnes norunt, qui humilitatem
animi, modestiamque ejus cognovere. Rara hæc est
Virtus, nostro præsertim seculo, quo ambitio at-
que superbia adeò invasit mortalium pectora, ut re-
verentiam sibi deberi ab omnibus putent, ipsos ne-

mini. Et s̄ aequali numero speciosa hæc vñiorum moni-
stra, non aliunde quam ex corporis aut animi do-
tibus, aut eruditione, aut prudentiâ in rebus geren-
dis, aliisque, non raro imaginariis Virtutibus, origi-
nem suam trahunt. Talia, nec ipse Momus Defun-
cto nostro exprobraret, qui non ignorabat, quam
vana res esset superbia, & quam possessorem suum
odio populi & contemtu cordatorum gravaret; mo-
destiam e contrarem esse divinorem, quæ amorem
conciliaret in populo, benevolentiam inter æqua-
les, & gratiam apud superiores. Hinc eveniebat, ut
quanto erat humilior, tanto carior esset omnibus,
& quanto carior in vitâ, tanto desiderior in mor-
te. Jam cogitate vobiscum, an mortuus verè sit di-
cendus, qui totâ vitâ hoc egit ne moreretur, quique
in domestico amicorum præconio, in civium suorum
honestâ recordatione, in hujus denique & sequen-
tis ævi memoria est supersuturus? Nos non saltim
eum cum Braxillo per famam, sed quod longè ma-
jus est, vitam æternam vivere judicamus. Tempos-
rariæ enim hujus vitæ finis, exordium est æternæ &
longè beatioris vitæ. *Sicut mali nascuntur, ingenio-*
sa hæc est Guevarra sententia, ut moriantur, sic bonæ
moriuntur ut vivant. Mala enim mors putanda non
est, quam bona vita præcessit. Quam verè hoc de
Defuncto quoque nostro dicatur, Vitæ ejus historia
testabitur, quam, si hic bonâ fide subjunxerimus, no-
stro officio & piis manibus videbimus satisfecisse.
Susceptus est in hanc lucem, in hac ipsâ Urbe, Anno
hujus seculi supra decimum, nono, 29. Augusti, inter
quintam & sextam vespertinam, à parentibus opti-
mis; & patre quidem Viro Amplissimo Prudentissi-
moque

moque JACOBO Lembken / Civitatis hujus Senato-
re & Camerario bene merito ; Matre verò ANNA
Gribnijen / foeminarum præstantissima. Lineæ pa-
ternæ Avus fuit Vir Prudentissimus, HERMANNUS
Lembke / Senator hujus Urbis spectatissimus ; mater-
næ verò HENRICUS Gribnijen / Civis ac Negotia-
tor industrius. Aviam paternam laudat Matronam
omnibus sexus sui virtutibus insigneum, MARGA-
RETHAM Beermans / è Clarissimo nec obscuro
BEERMANNORUM genere oriundam. Proavum
paternæ lineæ habuit Virum Amplissimum JACO-
BUM Lembken / Consulem hujus reipublicæ meri-
tissimum ; maternæ, spectatissimum Virum JOHAN-
NEM Beermans / Civem hujus loci industrium.
Proavia ipsi per paternam lineam ascendit, THALIA
Beseliens / ex vetustâ & non ignobili BESELINIO-
RUM familiâ exorta, foeminarum decus ac ornamen-
tum ; per maternam, ANNA Krohns / Matrona
nulli secunda. Optima genetrix, quamprimum in-
fanti vitam dederat, suam amisit, conjugem relin-
quens suspenso inter gaudium & dolorem animo,
filium verò matre orbatum, & tantò magis dolen-
dum, quod sensu suæ jacturæ destitueretur. Ad e-
iusigitur curam & educationem totus conversus
Pater, postquam per sacrum divinæ aquæ fontem
ab ingenitâ labe purgatum, Ecclesiæ Christianæ tra-
didisset, nihil eorum omisit, quæ teneram ætatem
formare, atque ad majora successu temporis animum
præparare valerent. Ab hoc affectu, & accuratori
filium educandi studio non destitit, cum ad secun-
da transiret vota, sibique anno 1625. felici matrimo-
nio jungeret decoratissimam foeminam, ANNAM
HAVE-

Habemans / quæ, (laudabili, sed raro exemplo) non
novercali odio, sed amore plane materno privignum
amplexa, ejusque curam minime aspernata, pro vi-
rili id egit, quo pietate, probitate, aliisq; virtutibus
rudis adhuc animus imbueretur. Primo enim pri-
vatæ informationi traditus, mox scholæ patriæ com-
missus, M. VULPIUM, M. Rieben / M. MOVİUM,
& M. Bischoffen / omnes Viros Clarissimos, & Re-
ctores Correctoresque de Patriæ Scholâ meritissi-
mos, non perfunctorio studio, nec sine fructu audivit.
Humaniori deinde literaturæ, & Disciplinis Mathe-
maticis per biennium se tradidit, Præceptore D. STE-
PHANO SCHULTETO, Med. Profes. Excellentiss.
Igitur ad majora jam animum intendit, seque anno
1638. Julianam contulit, ibique per quadriennium
substituit, cum magno studiorum suorum incremen-
to, usus imprimis doctrinâ & operâ tūm publicâ tūm
privatâ Virorum Clarissimorum, CALIXTI &
HORNEI, Theologorum; WECCII, CLUDII, LON-
TICHII & HOCENII, JCtorum ; HORNEI,
SCHEURLII, SCHRADERI ac FELDENI, Philoso-
phorum. Eādem industriâ hic anno 1642. Helmsta-
dio redux, studiorum cursum continuavit, moder-
atoribus, SCHUCKMANNO seniore, Schlüßen / RAH-
NIO & SCHNOBELIO, JCtis & Antecessoribus hu-
jus Academiz tum temporis famigeratissimis. Sed
& Collegia nonnulla Mathematica, Geometrica &
Fortificatoria aliis legendō aperuit, easque artes, præ-
cipuos Juvenum Nobilium, ad hanc Musarum sedem
confluentium, docuit. Anno 1644. Præside Excel-
lentissimo JCto SCHNOBELIO, de servitutibus tam
realibus quam personalibus publicē disputavit, reli-
quo

et quoque tam egregio eruditio[n]is specimine, Argentoratum petiit. Audivit ibidem Theologos, DÖRSCHÉUM, SCHMIDIUM & DANHAWERUM; JCTOS, TABOREM, BICCIUM & REBHANIUM; Philosophos, DANHAWERUM & SCHALLERUM, Viros de Ecclesia & Republica literaria meritissimos, Celeberrimos. Deniq[ue] quod ipsi ad prudentiam Civilem adhuc deesse videbatur, peregrinationē, ingenti ardore adortus est, nō falso existimans, inde hauriri posse, quæ commodis patriæ aliquando inservirent. Quod enim Livius quodam loco de Historiā edifferit, illud præcipue in eā salubre ac frugiferum esse, omniſte exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi tuęque reipublica, quod imitere, capias: inde fædum inceptu, fædum exitu, quod vites; id non incongruē de peregrinatione quoque dixeris. Noster certè non alio fine peragravit Lotharingiam, Galliam, Belgium & fœderatas Provincias; idque imprimis est adeptus, ut non solū in clytas Universitates, Lugdunensem & Ultrajectinam, sed & Celeberrimos inibi Viros, Salmasium, Scotanum, Cyprianum, Regnerum aliosque viderit & in eorum familiaritatem atque notitiam venerit. Ex Hollandiā reduci anno 1646. Reverendum Concilium Secretarii Academicimi munus conferre nō dubitavit, cui cū summā fide & industriā præcesset, Anno in sequenti nomen suum Ampliss. Facultati Juridicæ professus est, Disputationēq[ue] Inauguralem, de Intercessione fœminarum, sub Præsidio sœpè laudati D. RAHNII habuit; in Licentiatum deinde, ac septennio post, in Doctorem Juris, solenni ritu promotus. Nō diu autem latuit Viri eruditio ac Virtus; Cum enim Ampliss. Senatus Urbis Professionē Juris ipsi absenti decrevisset anno 1653, vix

in Concilium Academicum receptus, fasces quoque
Academicos, unanimi Patrum consensu, cepit, talemq;
se in ista dignitate geslit, ut omniū laudem reportarit.
Nec igitur mirū, Civitatē postmodū, perspectā ejus si-
de & prudentiā, Syndicum etiā eū elegisse. Adeptus il-
lam dignitatem est anno 1659. eique tantā dexteritate,
tantoque consilio, præfuit, ut obitus ejus non nisi lu-
ctuosus civibus esse posse. Illud prætereundem non
est, anno 1647. in matrimonium illum duxisse Virginē
lectissimam, virtutibusque omnis generis decoratissi-
mam, ELISABETHAM Schnitlers. Viri Spectatissimi:
JOHANNIS Schnitlers, Civis, ac Ædis Marianæ Præfe-
cti fidelissimi filiam, nunc viduā mœstissimā. Conjugiū
fuit concors & fœcundū. Quinq; enim liberorū pa-
rens est factus, duorum filiorum, quorum major natu,
JACOBUS, Juris Candidatus Clarissimus jam propriis
radiis coruscat, minor quoq; JOHANNES studiis im-
pigre navat operam; & trium filiarum, quarum prima
ANNA ELISABETHA in ipso ætatis flore de-
cessit, reliquæ duæ, ELISABETHA, & ANNA, per
Dei gratiam vivunt; quibus omnibus in tam
acerbâ afflictione, in quam præmaturus carissimi Ma-
ritiatque Parentis obitus eos præcipitavit, solatum
exalto precamur. Functus cœterum noster satis fe-
liciter vitam transegisse videbatur, nisi cum variis ac-
tenacibus morbis, qui sœpè cum corpore spiritu fran-
gunt, conflictandum ipsi fuisset. Sed de morbi genere
audiamus. Vírum Excellentissimum atque Experi-
entissimum Dn. D. JOHANNEM BAKMEI-
STERUM, Medic. ac Super. Mathemat. Profess.
Public. Collegam ac Compatrem nostrum ho-
noratissimum, quem curando malo adhibuit.
Verba ejus hanc in rem consignata hæc sunt:

Mor-

Morbūm, Viri Nobilissimi, Amplissimi ac Consultissimi DN. Dr.
HERMANNI LEMKENII Jcti, Antecessoris & Syndici hujus
Academie ac Urbis per multos annos gravissimi, longèq; celeberrimi,
College olim mei conjunctissimi nunc ebeu! desideratissimi, ut
ordine describam, pagellarum angustia non permittit. Suntis, di-
cam breviter. Eandem cum reliquis Musarum filiis expertus Dn.
Lemkenius fortunam, per aliquot lustra Affectione hypochondriacā, malo Literatis familiarissimo, laboravit, quæ temporis
morā Filiam suam genuinam, uti sivevit semper, Scorbutum
produxit, atque sic Mater cum Filiā mali nominis, coadunatis qua-
si viribus, progressu temporis horribilem totius Oeconomia corpor-
alis, omniumque ferē actionum Vitalium, Animalium & Natura-
lium tremorem periodicum, ob natum fermentorum Ventriculi
& reliquorum viscerum, & hinc præparationem, generationem &
depurationem sanguinis lesam, intulerunt. Quantos enim hic
observare licuit dolores Arthriticos, Podagricos, Colicos, Nephri-
ticos? quam insignis & planè extraordinarius atque notabilis Te-
nesmus cum stranguria continua ferē ac intolerabili, ut etiam in-
de non levū suspicio suborta sit de Calculo in ipsa Vesica Urinaria
latitante, quem postmodum piè functus Dn. Lemkenius exakte ob-
servare potuit. Nec tandem regia Menti sede libera fuit ab in-
sultibus rabidi hujus hostis, sed & accedente fermento vinarnicoti-
cā infesto, Apoplecticum sustinere coactus est paroxysmum, aet sal-
tim per Dei gratiam unicum. Haec sunt operationes Archai nostri
irritati, qui nihil peregrini admittit, sed illud ipsum statim a
communione vites excludere nititur, in quo nisi totus sepe fit sym-
ptomaticus, at quem unum agendorum oblitus, impatiens quasi
furit, cunctaque perturbat in totā Corporis Oeconomia, ac in lus-
dibrium medentium omnia perpetrat, uti prob dolor! in hoc sub-
jecto experti sumus. Quamvis enim & ante me multi Naturæ
lustratores Medicæq; artis Antistites huic furibundo Enti splendi-
dissimis quibusdam ipsius sedativis & consopitivis Medicaminibus
obviam ivere, ut ita consopirent & pristinis halcyoniis redderent
seditiosum Naturæ Regem, nec ego cum Excellentissimis Dominis
Collegis meis quicquam eorum intermisserim, que perturbatum
Hujus regimen in tanta exquisitissimum symptomatum syndro-
me solita tranquillitatē restituere possent; Nulla tamen vi, nulla

arte abjectas semel habenas in manus ejus reponere posuimus, sed,
cum vitiros illos in corpore hoc latitantes humores cum fermentis exoticis vincere, edomare, ac penitus eliminare non poterat, extra se suosque Ideā quasi raptus, mortis effigiem propriā sibi pim-
xit industria, ad stuporem certe admirantium, quod Rector ille
vitæ intendat perniciem sui, cum unum quodque esse optet &
permanere. Hæc in præsens de morbo hoc dixisse sufficiat.
Hæc Medicus. Anne igitur dubitas, mortem eum æ-
quo animo tulisse? Ipsiū credo, dum vivebat, cum
Gorgia Leontino, quærenti responsurum fuisse. Ex
patri & defluente domuncula non invitus discedo. Sed
nullus vivendi fias melior est, Judice Tullio, quâme
cum integrâ mente, certisq; sensibus, opus ipsa suum,
quæ coagmentavit, natura dissolvit. Hoc enim mo-
do beatus Noster, cum quinquagesimum quartum æ-
tatis annum explevisset, mensis Februarii 25. die circa
hora 8. vespertin. sensim dissolutus, placidè expi-
ravit. Anima sanctissimo viatico, abs Confessiona-
rio suo, Viro plurimum Reverendo, Amplissimo at-
que Clarissimo, DN. M. HERMANNO BECKERO,
ad D. Jacobi Pastore, & Mathematum Infer. Prof.
Publ. Collega atque Amico nostro honoratissimo,
instructa, & cælo jam recepta beatis sedibus tri-
umphat; Corpus verò monumento suo hodiè infe-
retur. Convenite Ergo Cives Academici frequentes,
ad cohonestandas exequias Viri, de Jurisprudentia,
de Justitia ipsa, de Civitate, de Academia, de ordine
denique nostro præclare meriti. Faciamus quod de
Scipione Lælius apud Tullium ait: Quam au-
tem Civitati carus fuerit, mœrore fu-
neris indicatum est. Valete.

P.P. sub sigillo Rectoratus die XVII. Martii
Anno M. DC. LXXIV.


Conventus fiet in templo Jacobæo circa horam I.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn756284929/phys_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756284929/phys_0019)

DFG



the scale towards document

ges ac Principes s^ep^e attoniti audire: Suas
eminentis vim, non secus ac Demosthenici
petum imperij Proceres s^ep^e sensere. De
s non tantum privati, sed & publici partibus,
minis forma, de religionis purioris vindicijs,
ibus recte instituendis, litium prolixis telis
ad publicam salutem conservandam necessaria
ovellorum nostri ævi, novas Utopias somni-
luit alter Sulpitius, studio, usu, experientia, &
sed & archivis actisq; publicis haustâ scientia
olanè lepore differebat. Deniq; Encomio Lucij
ctorū disertissimū & oratorū juris peritissimū
t. Accedebat naturalis cum decenti venustate
ta gravitas, in divino cultu pietas, in homini-
s, in negocijs expediendis dexteritas, in adver-
peris continentia, in fortunæ instabilitate
quâ bonæ conscientiæ scuto munitâ, omnes
imniatum, invidiæ & livoris iclus ac mortus
repulit. Aulicis negocijs gravibusq; causis
& occupatisissimus fuerit, semper tamen
n respexit, ejus ut quondam alumnus, ita
as defensor, imò & excultor perpetuus fuit.
viro consultissimo Joanne Albino, pandectarum Pro-
dente, eidem in officio suffectus & in collegium Juridici
us fuerit; præstitit se quoq; in hac vita statione fidum
tiones crebræ, publicæ curæ & molestiæ, eum aulicos &
tiri & Labeonis JCt ex exemplo annum quasi cum labori-
quibus tamen cum sensim nimis irretiri & aulæ astringi
caria viri consultissimi Christiani Obmichy J. D. eximij,
demicum sibi creditam, luculenter feceravit. Virtuti-
n adversus affectuum motus, & adversitatum impetus
mavit, seq; invictum reddidit: ast à morbis corporis se-
otius quò animo fortior, ed semper fuit corpore debilior:
um in itinere quodam officij ratione sucepto, correptus
ti initio typum tertianæ simplici gessit, ita non multò
sentavit, & inædis inducijs indulxit, majori paulò post
tuans, incrementum sumpxit, in quartanam degenerans,
Accesserunt lienis & mesaræ obstrunctiones, & quar-
oles scorbutus, perennis iudem à capite ad fauces & pul-
ascens indelinens tusus, cuius vehementia, venuila pul-
monum